6374
4
py 1

PA 6374
.J4
Copy 1

QUAESTIONES CRITICAE

AD EMENDATIONEM CLAUDIANI PANEGYRICORUM SPECTANTES.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LIPSIENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

LUDOVICUS JEEP
GUELFERBYTANUS.

70184

NUMBURGI
TYPIS GODOFR. PAETZII.
MDCCCLXIX.

PA6374
J4

JUSTO JEEP

PATRI OPTUMO

d. d.

LUDOVICUS JEEP.

In Claudiani carmina inquirenti permulta quidem se offerunt accuratiore explicatione digna. Multa in eis, ut ex parte jam priore tempore cognitum est, mutilata et lacunosa exstant, omnia fere scatent gravissimis singulorum locorum corruptelis, habemus certa vestigia cum librorum deperditorum tum plane a Claudiani nomine alienorum nec pauca, sicut temporis descriptio, quo carmina composita sint et edita, multo difficiliora sunt, quam quae a celeriter legenti expediantur.

At vero quae de his rebus contulimus, servamus in aliud tempus. Nunc satis habeo de emendatione Claudiani egisse idque ita, ut raptu Proserpinae, quem jam inde a saeculo XIV semper fere separatim descripserunt, omisso inquireremus in emendationem panegyricorum.

Quamquam non ignoro eis, quae in promptu erant, subsidiis studia illa a me nondum potuisse absolvi: tamen putavi non inutile fore ea proferre, quae jam investigasse mihi videor. Uberiora et certiora fortasse itinere Italico quod paro confecto addere potero.

Emendatio Claudiani post Heinsium, qui ut aliis poëtis Latinis, sic Claudiano codicibus undique conferendis maximam attulit utilitatem, plane jacuit. Sunt quidem post eum ad recentiora usque tempora illius poëtae carmina vel omnia edita (sicut a Gesnero 1759, a Burmanno 1760, a societate Bipontina 1784, ab Artaudio 1824, a Doullayo 1836) vel ex parte (sicut a Koenigio 1808 et ab Orellio in duobus programmatis universitatis Turicensis anni 1843), neque vero illi viri in his editionibus novam praebuerunt accuratamque

Claudiani recensionem, quae fulta esset justa singulorum librorum MSS. aestimatione, sed quaestione de codicum rationibus plane neglecta nihil fecerunt, nisi ut eadem via ingrederentur, quam multis annis ante Nicolaus Heinsius [1]) praeiverat.

At vero ne Heinsiana quidem ratio nunc nobis sufficit: nam quamquam concedendum est virum doctum admirabili successu in emendando Claudiano elaborasse, tantum tamen abfuit, ut jam severiorem, qua nunc uti didicimus, disciplinam sequeretur, ut suo arbitratu ex apparatu critico, quem contulerat id quod placuit eligeret. Quod idem, ut vix commemoratione opus est, multo magis cadit in eos, qui ante Heinsii aetatem Claudiani carmina recensuerunt, sicut, ut tantum praecipuos enumerem, quorum editiones omnes manibus trivi, Barnabam Celsanum,[2]) Ugoletum, Camertem, eos qui Juntinam Aldinam Isingrinam [3]) editiones paraverunt, Delrionem, Claverium, Pulmannum, Barthium.[4]) — Ceterum

---

[1]) Heinsius duas recensiones Claudiani fecit saepe repetitas. Prior prodiit Lugduni Batavorum 1650, altera Amstelodami 1665, quae, quamquam notarum altera fere parte auctior, attamen priori posthabenda est propter neglegentiam, qua impressa est. cf. Burm. praef. p. XVIII. Gesn. prolegg p. XXXVI. Accessit Heinsius etiam ad tertiam recensionem, quae tertiae curae exstant in editione Burmanniana (cf. Burm. praef. p. XVIII). Restant tamen in ea multa vitia alterius editionis, ut verisimile sit, Heinsium hanc recensionem non ad finem perduxisse: nam respuendum Gronovii judicium est, qui in exercitationibus academicis de nece Judae (ed. ap. Jord. Lachmans. Lugd. Bat. 1702) p. 173 acriter invehitur in fidem Heinsii in codicum scripturis adnotandis. Ea enim, quae Gronovius h. l. dixit, apertam habent temeritatis speciem, ut unicuique probabitur, qui convicia ista Gronoviana comparaverit cum eis, quae et Heinsius ipse et Clercquius in apparatu critico afferunt.

[2]) Haec editio est princeps et ectypos unius codicis deterioris, ut ex vitiorum ratione, quae in ea exstant, facile intellegitur. Accepi hanc editionem ex bibliotheca Guelferbytana.

[3]) Isingrinam editionem accepi ex bibliotheca Goettingensi. Erat vero exemplar istud, in quo exstant schedae Gudianae, quae pluribus manibus conscriptae ex parte saltem ex codice Ambrosiano I seu ex simili libro haustae videntur esse. Ceterum confer quae de eis dixit Gesnerus prolegg. p. XXX et Heinsius praef. ap. Burm. p. 24.

[4]) Illi editores aut nihil contulerunt, quod commemoratione dignum sit, aut si meliores libros videntur inspexisse, sicut Claverius (cf. idyll. III, 10, epist. III, 24, epigr. I, 15, XXVII, 5, epith. Pall., 4. cet. quibuscum conferenda est ipsius Claverii praefatio) scripturas eorum neglegentissime adnotaverunt. De Pulmanno et Barthio cf. Heins. praef. ap. Burm. p. 25.

valde querendum est, quod Heinsius non ipse plenum apparatum criticum edidit, sed hoc tantum post mortem viri docti a Clercquio van Jever factum est in editione Burmanniana, qui ex quinque editionibus, in quarum margine Heinsius varias codicum scripturas adjecerat, immensum apparatum conscripsit, illum quidem non ea cura compositum, qua opus erat, ut ex eo codicum cognatio accurate intellegi posset. Atqui cum nemo unquam hac de re accuratam quaestionem instituerit, factum est, ut Claudiani emendatio usque ad hoc tempus titubet, id quod quamqam minime fugit Paulum, qui hoc tempore multos locos Claudianeos tractavit,[1]) is tamen ne conatus quidem est malo mederi. — Priusquam vero ipsi conemur certiorem rationem emendationis instituere, subsidia, enarrabimus quibus praeter ea, quae in manibus omnium versantur usi sumus. — Atque primum in promptu mihi erat accurata descriptio codicis Vaticani N. 2809 [V],[2]) quae mihi missa est simul cum nonnullis ex hoc codice excerptis amplissimo praeceptore RITSHELIO in meam gratiam intercedente a WILMANSO, pro quo gravissimo meorum studiorum auxilio utrique gratiam habeo maximam. Est vero ille codex, quem Heinsius (cf. praef. apud Burm. p. 22) „si Lucensis codex excipiatur, praestantissimum vocat et veterrimum.“ At vero nequaquam haec sententia in totum quadrat codicem, sed tantum in particulam ejus antiquissimam. Constat enim hic codex ex tribus partibus, in quarum prima, saecula XI scripta, haec carmina eo, quo enumerabimus, ordine continentur: fescennina in nuptias Honorii, duo libri in Rufinum,[3]) cum praefatione uterque, epithalamium Honorii cum

---

[1]) cf. quaestiones Claudianeae. Berol. 1866.

[2]) Litteris, quas singulis codicibus uncis inclusas apposuimus, infra propter brevitatem codices signabimus. — Ex hoc codice fluxerunt excerpta, quae Heinsius vocat, Livineji.

[3]) In libro I post versum 159 lacuna sequitur usque ad versum 215, haec tamen expletur folio membranaceo infixo, in cujus priore pagina versus, qui deerant, descripti erant manu prima eique simul cum ipso versu 215, qui primus versus est post lacunam. In altera vero illius folii pagina sub hac inscriptione: „ordo librorum“ singulorum carminum initia deinceps enumerantur. — Deest vero etiam postremus versus libri secundi; is autem versus (v. 526), qui huic antecedit, sine lacunae specie statim excipitur a sex ultimis versibus praefationis in epithalamium Honorii.

parte praefationis, bellum Gildonicum,[1]) tres de Stilichonis laude libri, quorum tertio praefatio praefixa est, quae in editionibus legitur, liber de VI consulatu Honorii cum praefatione. Tum secuntur multa carmina minora, quae ut hic, sic infra ubique propter brevitatem eis numeris signavi, quibus Gesnerus usus est in editione sua: XXXIX, LII, XLIV, XLVIII, XLIX, XLVII, LXXIV, XXXVII, XCV, LI, LXXV, LXXVI, LXXXVIII, LXXVII, LIII, LXXXIII, cui epigrammati hic versus praefixus est sub titulo „de dulcio": „Nectareo muro dulces cinguntur arenae," XLVI, XL, LXX, LXXI, LV, LXXII, LXXIII. Jam vero denuo nonnulla carmina secuntur majora, laus Serenae, epistulae ad Olybrium et ad Probinum, carmen de Theodori consulatu, cui praefatio addita est, libri in Eutropium, cujus alterius, quem nunc legimus in editionibus, praefatio „liber secundus" dicitur, cum ipse iste secundus liber „tertius" nominetur. Deinde sequitur epithalamium Laurentii[2]) et carmen LXVIII, quod excipitur a duobus parvulis carminibus, quae inscripta sunt „de liberalibus" et „laus Martis".[3]) Secuntur carmina LVI, LVII, LVIII, LXII, LIX, LX, LXI, epithalamium Palladii cum praefatione, carmen XCIII, XCIV. Postremo subscriptum est: „Explicit de aquila incipit de bello Pollentino": quibus verbis ea particula codicis finitur, quae saeculo XI scripta est, ita ut in hac postrema pagina pauci tantum versus legantur. Hinc vero hoc, quod maximi est momenti, apparet codicem V non, ut Heinsius conjecit (praef. p. 22) esse mutilatum librum, qui olim plura Claudiani carmina complexus sit, sed imperfectum.[4])

Jam vero incipit altera codicis particula manu saeculi XV in membranis scripta, in qua inscriptionibus omissis continentur car-

[1]) In hoc carmine locus deest, qui exstat inde a versu 420—446: hic tamen additus est in margine litteris minusculis ejusdem aetatis.

[2]) cf. Meyer anthol. II, 1143.

[3]) cf. Meyer anthol. I. 574 et I, 585.

[4]) Dubium esse non potest „de bello Pollentino" inscriptione carmen significari, quod in editionibus inscribitur „de bello Getico", cum „de bello Pollentiaco" inscriptio carmini de bello Getico praefixa sit in codice Mediceo I et schedis Gudianis.

mina de consulatu Olybrii, de III et IV Honorii consulatu, quorum priori praefixa est praefatio, denuo fescennina, bellum Geticum prooemio omisso. Deinde uno folio vacuo relicto alia et deteriore saeculi XV exeuntis manu additi sunt tres de raptu Proserpinae libri, quorum tertio quoque praefatio praefixa est, quae in editionibus ante librum de VI Honorii consulatu legitur.

Praeterea RITSHELIO praeceptore, GERSDORFIO summo bibliothecae Lipsiensis praefecto, DE HEINEMANNO, qui praeest bibliothecae Guelferbytanae, summa cum liberalitate mea gratia intercedentibus praeter duos Guelferbytanos, ex bibliotheca universitatis Lugduni Batavorum quinque mihi missi sunt Claudiani codices, ut ipse eos possem conferre.

Primus est illorum, ut a Guelferbytanis incipiam, „codex Gudianus“ N. 220 [R], membranaceus in 4 oblongo, saeculo XIII exeunte in Italia descriptus, qui, ut inscriptio docet, anno 1640 erat Bernhardi Rottendorfii, a quo viro hic codex Heinsio alteram recensionem paraturo missus est, quare ab hoc nominatus est „Rottendorfianus“. Continentur vero in illo codice Claudiani carmina eo, quo secuntur, ordine: libri duo in Rufinum, uterque praefatione instructus, liber de bello Gildonico, tres de laudibus Stilichonis libri, carmen de VI consulatu Honorii, duo in Eutropium libri, carmina de III et IV Honorii consulatu, de consulatu Theodori, deinde alia eaque plerumque minora carmina LVI, LVII, LVIII, LIX, LX, LXI, LXII, XLI, XLII, LIII, LXXV, LXXVI, LV, LXXII, LXXIII, LXX, LXXVI, LXXVII, LXVIII, Gigantomachia, XCII, XCI, LXXXIV, XXXIX, LII, XXXXIV, XXXXVIII, carmen de bello Getico, XCV, XXXX, laus Serenae usque ad versum 111, cui subjectum est carmen LI inde a versu tertio, quod a primo versu carminis LIII excipitur. Praeterea nihil hujus carminis additur, sed post hunc versum insertus est quaternio manu Reyneri de Capella scriptus, in quo laudis Serenae finis inde a versu 111 usque ad 237 legitur, praeterea carmen LI, versus 1 et 2 carminis XLIII. Tum inserto quaternione finito denuo incipit manus prima, quae versu secundo repètito carmen XLIII ad finem perducit et carmina subjicit LXXX, LXXIV, LXXXIII, epithalamium Palladii

cum praefatione XLIX, XLVII. Jam vero finitur codex, quem prima manus exaravit et fasciculus incipit manu illius Reyneri de Capella conscriptus. Hic complectitur carmina LXXXV, LIV, LXXXVI, LXXVIII, LXXXVII, LXIX, XLV, LXXIX, LXXXII, LXXXIX, XC, L, fescennina et epithalamium Honorii. In fine subscriptum est manu Reyneri, qui varias quoque scripturas per totum codicem addidit:

Explicit magnum opus claudii claudiani.

Liber iste est codex fratris reyneri de capella. orate pro eo.

Alter est „codex Helmstadiensis“ N. 499 [H], membranaceus, in 4 oblongo saeculo XIII scriptus, qui quamquam ab Heinsio affirmatur (praef. p. 24) sedulo eum sese contulisse rarissime allatus est in viri docti adnotationibus. Ex Clercquii tamen apparatu critico plane apparet, Heinsium verum dixisse. Nam eas varias scripturas, quae ibi afferuntur sub hoc signo: „Var. LL. ed. Antv.“ ex codice Helmstadiensi fluxisse unusquisque statim, qui codicem inspexerit, concedet, quia cum numerus carminum, ad quae variae scripturae in editione ista Antverpiana adjectae erant, idem est, atque in codice Helmstadiensi, tum ipsae illae scripturae accuratissime conveniunt cum istius codicis scripturis. Complectitur vero codex haec carmina eo, quo infra enumerata sunt, ordnine: libros duos in Rufinum, quorum alter prooemio, quod ad bellum Gildonicum tralatum est, caret, librum de bello Gildonico,[1]) duos libros in Eutropium, fescennina cum Honorii epithalamio, carmina de III et IV consulatu hujus imperatoris, de Theodori consulatu, tres libros de laudibus Stilichonis, carmen de VI Honorii consulatu, de bello Getico, denuo fescenninorum particulam, quam Gesnerus XIII numero significavit, LXXXV, LIV, LXXXVI, LXXVIII, LXXXVII, LXIX, XLV, XCII, XCI, LXXXIV, LXXIX, LXXXII, LXXXIX, XC, L, LI, XLIII, LII, LXXX, XXXIX, LXXIV, LXXXIII, epithalamium Palladii cum praefatione, XLIX, XLIV, XLVII, XLVIII, laudem Serenae, XL, XCV, LVI, LVII, LVIII, LIX,

[1]) In hoc libro librarii errore post versum 324 insertus est locus, qui pertinet ad librum alterum in Eutropium, ubi legitur inde a versu 529 usque ad hujus libri finem.

LX, LXI, LXII, XLI, XLII, LIII, LXXV, LXXVI, LV, LXXII, LXXIII, LXX, XLVI, LXXVII, LXVIII, Gigantomachiam.

Jam vero ei sequantur, quos accepi ex academia Batavorum.

„Codex Vossianus“ N. 294 [V 1], membranaceus in 4 oblongo. Hic est primus, ut Clercquii significationem adhibeam, eorum codicum, quos Heinsio Petavius misit (praef. p. 20.), cum ille priorem Claudiani editionem pararet: id quod cum ex accurato scripturarum consensu, tum ex carmine Euglerii Comitis apparet, quod recentissima manu in fine carminis paschalis adscriptum est. (cf. Claud. ed. Heins. 1650. p. 275 et Claud. ed. Burm. p. 1006.) — Scriptus vero est codex ille, ut ex anni 1218 subscriptione, quam maximo tantum oculorum labore legere licuit, apparet initio saeculi XIII et carmina in eo hoc ordine leguntur: duo in Rufinum libri, quorum alter praefatione caret, carmen de consulatu Olybrii, de III et IV Honorii consulatu, fescennina, epithalamium Honorii, liber de Theodori consulatu, carmina de bello Gildonico, in Eutropium,[1]) de laudibus Stilichonis, de bello Getico, de VI consulatu Honorii.[2]) Tum secuntur carmina plane eodem ordine, quo etiam in H. leguntur, sed additus est raptus Proserpinae.

„Codex Vossianus N. 126 in catalogo librorum MSS. a. 1716, membranaceus in 4 oblongo [V 2], qui eadem carmina eodem ordine complectitur, atque codex H. et scriptus est saeculo XIII.

---

[1]) Inter versum 83 et 84 primi libri in Eutropium interpositus est notissimus iste versus „gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo“, qui unde desumptus esset neque alii sciverunt, neque Buechmannus (Geflügelte Worte) vel C. Krusius (cf. dactyliotheca, Sundiae 1863 et litt. Centralbl. 1865 p. 700). Videtur vero ille versus in carminis istius contextum ex glossa irrepsisse, quae margini olim adscripta erat (cf. Burm. ad v. 83 lib. I in Eutrop. et ad Ov. ex Pont. IV, 10, 5) et conversus esse Ovidiano loco qui legitur ex Pont. IV, 10, 5 adhibito ex graeco Choerilli „πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδεχελείῃ.“ (cf. Naek. Choerilli Samii fragm. p. 169 sequ.)

[2]) Hic manu recenti subscriptum est:

prolulit in lumen actoris utcunque volumen
quid libet intactum ducens gaufredus . . . . (?)

Tum spatio decem versuum vacuo relicto incipit altera codicis particula eaque, nisi fallor, eadem manu exarata et ex eodem codice ex quo prior libri particula hausta: id quod ex scripturarum ratione statim apparet.

Ut ex schedula ante primum folium codicis infixa apparet, collatus ille est anno 1864 a Luciano Muellero, hic tamen, quod sciam, nihil de eo in medium protulit.

„Codex Vossianus“ N. 385 in catalogo a Geelio 1852 edito [V 3], membranaceus in 4 oblongo. Scriptus est saeculo XIII et carmina eodem ordine continet atque H., sed desinit in versu 35 carminis de Serenae laude, qui statim excipitur a versu 19 tertii libri de raptu Proserpinae. Hic vero liber lacunam habet a versu 279 usque ad versum 361, a quo denuo incipit, sed jam v. 438 finitur.

„Codex Leidensis“ N. 116 in catalogo a. 1716 edito [L 1], membranaceus in 4 oblongo, scriptus saeculo XIII exeunte. Continet carmina eodem ordine, quo H., sed inter primum et secundum librum in Eutropium additum est carmen de consulatu Olybrii et Probini et finitur jam carmine de bello Getico. De versibus, qui h. l. subscripti sunt, confer catalogum. Est vero ille codex, quem Heinsius contulit, id quod ex adscriptione in primo folio addita apparet, et Leidensem primum dixit.

„Codex Leidensis“ N. 131 in catalogo a. 1716 edito [L 2], membranaceus in 4 oblongo, saeculo XIII ineunte conscriptus, qui carmina eodem ordine complectitur atque H., nunc vero perlacunosa. Primi enim libri in Rufinum desunt v. 351—387, secundi libri in eundem v. 1—258 et v. 370 usque ad finem, belli Gildonici v. 1—378, primi in Eutropium libri v. 225—288, fescenninorum, quae numeris signavi Gesnerianis, carmen XIII, v. 11—12, totum XIV et Honorii epithalamium. In carmine de III Honorii consulatu praeter praefationem desiderantur v. 1—73, in libro de Theodori consulatu v. 183—339, in primo de laudibus Stilichonis libro v. 1—344. In fine libri de bello Getico, quo concluditur in hoc codice carminum series, manu prima descripta sunt, quae supra exciderunt in libro primo in Rufinum et ex secundo libro in Rufinum v. 1—257. Est vero ille codex, quem Heinsius vocavit Leidensem secundum.

Ad hos accedit „codex Erlangensis“ N. 298 in catalogo ab Irmischero composito [E], in meum usum ab amico Jennero ac-

curate collatus. Est vero hic liber codex membranaceus in 4 oblongo saeculi XIII, qui carmina usque ad carmen de bello Getico, quo jam finitur, eodem ordine continet atque H. Secundus vero liber in Rufinum desinit jam v. 350, carmen de bello Gildonico v. 264, de bello Getico v. 343.

Usus sum etiam „codice Turicensi“ N. 10 [T] membranaceo, saeculo XIII exeunte exarato et a C. Orellio collato, in meam vero gratiam a viro doctissimo BURSIANO, quem hanc ob rem per epistulam adieram, denuo inspecto et accuratissime descripto. Continentur autem in hoc libro carmina usque ad bellum Geticum eodem ordine, quo leguntur in H. Hoc vero carmen excipitur a panegyrico Olybrii et Probini consulatus, quo codex finitur.

Manibus denique denuo trivi „editionem principem“ [P], quae ut diximus codicis MSS. ectypos est. Continet vero haec editio plane eadem, quae codex T. complectitur, in initio tantum tribus de raptu Proserpinae libris additis.

Jam vero liceat ad propositum nostrum redire.

Initium est faciendum in singulis codicibus Claudianeis recte aestimandis ab eis, quos Heinsius veterrimos et optimos habuit, si nolimus totam, quam instituemus, quaestionem omni carere certo fundamento. Et veterrimum quidem codicem vir doctus Gyraldinum [G] esse censuit (cf. praef. p. 21 et 22), quem Gyraldus ipse putavit olim Francisci Petrarcae fuisse (cf. dialogg. de latt. poet. IV). — Notus vero nobis est hic codex Gyraldi excerptis adscriptis margini Aldinae editionis, quam Heinsius accepit a patribus societatis Jesu Antverpianis, unde in marginem exemplaris editionis Antverpianae a Pulmanno anno 1596 curatae transtulit (cf. Burm. praef. p. XXVI). Hinc autem Clercquii studio in syllogen istam transierunt variarum scripturarum post editionem Burmannianam impressam. — Praeter illum codicem Gyraldinum Heinsius praedicat ut ex optimo veterrimoque codice hausta excerpta quae dicuntur Lucensia, quia qui ea scripsit codicem, unde hausit, Lucensem ipse nuncupavit. Leguntur vero haec excerpta, ut praeter Heinsium l. a. accuratius explicat Bandinius in catalogo

bibliothecae Mediceae II. plut. XXXIII, cod. IX in editione principe a Celsano curata, in cujus margine ex *antiquo b*, id quod haud dubie pro codicis significatione habendum est, et manu Angeli Politiani variae scripturae sunt adjectae. Ea autem carmina, quae in editione ista desiderantur (cf. Gesn. prolegg. p. XL), suffixa sunt eaque continuo codicis instar in charta scripta ejusdem manu, qui editionem principem cum *antiquo b* contulit: unde sequitur, cum editio illa anno 1482 curata sit, libri particulam manu scriptam non ante saeculi quinti decimi finem confectam esse. Duplicem vero illam excerptorum rationem in editione a primo in Rufinum libro incepisse confirmat Clercquius (ed. Burm. p. 748, a), qui ita ea distinxit, ut altera diceret excerpta Lucensia „prima" (Lucens. pr.), altera „secunda" (Lucens. sec.). Sed hac in re parum sibi constabat, ita ut utraque non raro inter se commutaret: id quod non difficile est ad cognoscendum. Nam Heinsius in editione sua Elzeviri sumptibus anno 1650 impressa — alteram enim propter causas, quas supra explicavimus, omittimus — utraque, quae exstant in Florentino illo editionis principis exemplari, excerpta non attulit, sed simpliciter „excerpta Lucensia" adscripsit,[1]) quae eadem esse, quibus „secundorum" significationem Clercquius tribuit, ex hujus viri et Heinsii notarum comparatione plane apparet. Ergo in his Heinsii notis habemus Clercquii fidei tamquam obrussam, qua adhibita invenies, hunc nonnullas scripturas, ut Clercquii significatione utar, excerptis Lucensibus „primis" tribuere, quae vindicandae sunt „secundis". Imprimis vero ista Clercquii inconstantia, qua in excerptis illis distinguendis usus est, intellegitur sub finem critici apparatus, in quo ab eo usque carmine, unde excerptorum Lucensium secundorum scriptor non tantum codicem singulis locis excerpsit, sed, ut jam diximus, continuo descripsit, ea appellavit „prima" excerpta, quae antea „secunda" vocaverat: id quod neminem fugit, qui excerpta ab Heinsio allata comparat cum eis, quae Clercquius ex illius viri scriniis protulit.

[1]) cf. Heins. praef. ap. Burm. p. 21.

Sunt vero duo illa excerpta et Gyraldina et Lucensia (secunda) ex uno eodemque codice hausta, ut jam Heinsius in praefatione in transcursu conjecit: qua de re accuratius non a viro docto investigata ne cuiquam diutius curandae essent Pauli inanes dubitationes, qui multis verbis hoc tantum dixit in programmate Berolinensi, p. 34, non audere sese statuere, qualis inter illa excerpta intercedat ratio, ex duobus in Rufinum omnes, libris quibus excerpta allata sunt, locos accurate infra contuli. Secutus vero sum auctoritatem Heinsii editionis anno 1650 curatae, contra quam rationem nihil profecto Paulus profert, qui l. a. Burmanno auctore (cf. praef. p. XVIII) haud dubie ipsius Heinsii testimonium secuto in epistula ad Gronovium (syllog. Burm. III, p. 514) viri doctissimi fidem in suspicionem vocavit. Nam non vidit Paulus, hoc Heinsii judicium ad alteram tantum pertinere editionem anno 1665 impressam, eam quidem, ut vidimus, Heinsio absente Schrevelii incuria multis mendis foedatam, cum auctoritatem prioris editionis a Gronovio curatae disertis verbis etiam Gesnerus laudaret (cf. prolegg. p. XXXVI) fidemque ei majorem jure vindicaret, quam alteri. Neque porro difficultatem intellego, quae evadere ex eo Paulo visa est, quod ad versum duodecimum secundi idyllii Heinsius mentionem facit „duorum“ Gyraldinorum codicum. Nam sive tali altero Gyraldi codice hoc uno loco inspecto (id quod non videtur verisimile), sive errore quodam haec alterius codicis Gyraldini commemoratio in Heinsii notas transiit, prior quem Heinsius illo loco dicit codex Gyraldinus, quoniam cum Lucensibus excerptis convenit, nemo dubitabit, quin idem veterrimus sit Gyraldi codex, quem vir doctus semper antea attulit: id quidem quod accuratius probabitur eis, quae statim infra sequentur de Gyraldinorum et Lucensium excerptorum cognatione. Ceterum, ut hoc quoque verbo tangam, quomodo aliquis eo perturbari possit, ut Paulus l. a., quod Clercquius (p. 805, a) ad bellum Gildonicum adnotavit, „hunc librum non collatum fuisse cum MSS. Lucensibus,“ quibus verbis scilicet codices significantur, unde excerpta Lucensia prima et secunda fluxerunt, equidem intellegere non possum.

Sed haec hactenus. Redeamus ad promissam excerptorum

scripturarum collationem, quam ita instituimus, ut consentientibus excerptorum scripturis recentiorum [1]) semper codicum subjungeremus, eo consilio, ut insignis eorum consensus statim dilucide appareret.

„Lib. I in Ruf." v. 133 urna] unda. v. 165 aspectu] intuitu. v. 204 opulentior] augustior. v. 232 exscindere] exstinguere. v. 308 jamque Getas] jam gentes. v. 325 turpes] tristes. v. 333 aciemque] ferrumque. „Lib. II in Ruf." praefatio hoc loco inserta est] praefatio ad bellum Gildonicum tralata. v. 12 (praef.) et Geticam] Gildonis. v. 22 resolvat] remittat. v. 49 fatis] causis. v. 64 proxima] caerula. v. 71 exceptis] praeceptis. v. 72 abnuit] abnegat. v. 74 facultas] potestas. v. 84 coactae] togaeque. v. 103 tuta sub pace relictis] tranquilla in pace locatis. v. 147 minas] manus. v. 187 caedes] clades. v. 210 limite justo] limite nullo. v. 216 casibus] cladibus. v. 222 elisa] illisa. v. 227 queruntur] movetur vel moventur. v. 262 spernisne] tradisne. v. 271 praebebit] praestabit. v. 274 sub cardine coeli] sub cardine solis. v. 283 pube] plebe. v. 298 poscere] vincere. v. 335 sentit praesagia fixi] fixi praesagia sentit. v. 342 insculpi] inscribi. v. 369 vocat] vocans. v. 371 extendere] intendere. v. 372 flexus] amplexus. v. 376 saltus] silvas. v. 399 respicit] despicit. v. 410 rabidos vultus] vultus avidos. v. 472 fluctu] fletu. v. 479 ad rigidi] ad mala mox. v. 491 per varias annis ter mille figuras] per varios annos per mille figuras. v. 515 inconsulto] inconcesso. v. 525 qua noctis opacae] quo ditis opaci.

At vero jam licet hanc scripturarum enumerationem finire; nam praeter locos, de quibus statim separatim agemus, ubique idem exstat excerptorum consensus, id quod cum unusquisque facile ex Heinsii editione et Clerequii apparatu intellegere possit, supervacuum est hoc loco pergere in languido scripturarum conscribendarum labore. Ceterum ad judicii nostri confirmationem praeter illum scripturarum consensum hoc quoque multum valet, quod

---

[1]) Nunc videlicet singulorum codicum recentiorum discrepantiam nondum curamus, sed tantum ea scripturis excerptorum subjunximus, quae in plerisque libris recentioribus leguntur, quos inspeximus.

inter Lucensia excerpta etiam breve Aetnae carminis fragmentum [1]) exstat, quod idem carmen, quamquam integrum, ut videtur, Gyraldus in codice suo se legisse testatur (dialogg. d. latt. poett. IV.). Nam praeter Gyraldinum et Lucensem codicem ne unus quidem adhuc notus est codex, in quo Aetna carmen inveniatur cum Claudiani carminibus conjunctum. Neque vero mea sententia eo refellitur, quod ad bellum Gildonicum et raptum Proserpinae, quae carmina in Gyraldi codice infuisse ex viri docti excerptis apparet, a scriptore Lucensium excerptorum nullae variae scripturae erant adnotatae. Nam ne nimiam viro isti neglegentiam tribuamus, ex ipso illo Aetnae fragmento concludere possumus, codicem Gyraldinum casu quodam decurtatum fuisse, cum denuo conferretur. Accedit vero, quod ad ea epigrammata, quae Bandinius in catalogo l. a. testatur in excerptis Lucensibus deesse N. 21, 43, 44, 48, 49, 50 (edit. Burm.) etiam Gyraldus nihil adscripsit.

Haec vero gravissima argumenta ut neglegamus, minime eo effici potest, quod nonnullis locis diversitatem quandam videmus intercedere inter Gyraldina et Lucensia excerpta: nam semper nos recordari necesse est, illo quo excerpta ista facta sunt tempore nondum eadem cura codices collatos esse, qua nos nunc uti didicimus: ergo facile fieri potuisse, id quod hodie quoque interdum accidit viris doctis, ut alii in eodem codice eisdemque locis aliud legerent, paulo celerius fortasse oculis folia transcurrentes. Cujusmodi ad neglegentiam haud dubie is locus pertinet, qui legitur lib. I in Ruf. v. 90, ubi Gyraldus ex suo codice protulit:

violentius Austris
Acribus, Euripi fulvis incertius undis,

alter vero ille, qui codicem trivit, pro „fulvis“ profert „flavis“,[2]) cum Gyraldo in ceteris consentiens, cum recentiores codices

[1]) Ex hoc fragmento apparet etiam Aetna carmen in codice G. emendatius lectum esse, quam alibi: nam in eo v. 267—269, jam a Wernsdorfio in suspicionem vocati re vera omissi sunt, ut apparet ex eis, quae Bandinius affert in cat. bibl. Laur. l. a. cf. Matthiae nov. bibl. scient. 59, p. 314 sequ. Sillig in Jahnii ann. phil. VI, p. 143. Jacob praef. ad ed. Aetnae p. IX seqq.

[2]) Ceterum in codicibus tum „fulvus“, tum „flavus“ per compendium hoc modo scripta inveni „fluus“.

ab hac scriptura longe recedant: nam hunc versum ita praebent:

violentius Austris,
Acrius harpyis, flavis incertius undis.

Huc non minus spectant alii illi quos subjunximus loci: lib. I in Ruf. v. 142, ubi Gyraldus legit: „debent“, alter vero excerptorum scriptor „dedent“; laudd. Stil. I, v. 241 Marcomanes] Marcomares; ibid. v. 356 Audolopes] Autolopes; laudd. Stil. II, v. 42 illicitum] illicitur; epith. Pall. v. 4 foribus] floribus; ibid v. 5 mites sudanti ventilat uva] mites sudanti ventilat uvas; cum in recentioribus codicibus legatur: „vitem sudantem ventilat uvis;“ idyll. III, 10: Qui tetigere jacens successu laeta resurgens Attactu confisa suo immobilis haeret] Attactu confisa suo immobilis haeret Qui tetigere jacent successu laeta resurgit; cum in recentioribus codicibus ex duobus illis versibus hic unus concinnatus sit: „hac confisa jacet: successu laeta resurgit“. idyll. VI, v. 4 Phobeius] Phoebus. Quod vero ad versum 260 primi libri in Rufinum pertinet, ubi in Gyraldinis excerptis „sese medio de“ legitur, in Lucensibus autem „solus medio de“, haec diversitas videtur antiquae deberi variae scripturae, quoniam jam codex V. habet „solus medio sed“, unde videmus „solus“ re vera scripturam esse antiquitus traditam. Idem cadit in versum 34 libri secundi in Eutropium, ubi alter, qui veterrimum codicem contulit, „rapta“ legit, alter „vincta“: nam huic „vincta“ simillimum „victa“ jam exstat in V. Quae cum ita sint, non est, cur negemus, etiam tribus locis reliquis, ubi intercedit diversitas inter Gyraldina et Lucensia excerpta, exortam eam esse ex variarum scripturarum adscriptione. Atque primus quidem horum locorum legitur in versu 366 primi in Rufinum libri, ubi Gyraldus profert „geminae cessant“, alter iste excerptorum scriptor „gelidaeque vacant“. Deinde secundus locus exstat idyll. VII, v. 12. Hic enim Gyraldus adnotavit „aere color“, is autem qui Lucensia excerpta fecit „aere tremor“ scripsit. Tertius denique locus legitur in septimo carminis paschalis versu, in quo „lumine“ editionis Aldinae margini adscripsit Gyraldus, Lucensium autem excerptorum scriptor „angele“ affert. Ceterum

duorum locorum posteriorum discrepantiam, quam diximus, nisi placet ex variis scripturis in vetere codice additis deducere, nihil impedit, quominus librarii eam tribuamus arbitratui, qui, ut supra diximus, illa, in quibus loci allati leguntur, carmina non excerpsit, sed continuo descripsit: ergo si non erat homo plane indoctus, facile permoveri potuit, ut emendatoris munus susciperet idque ita, ut aliorum, quos in manibus habuit, codicum auctoritatem sequeretur. Nam scripturae, quae in Lucensibus excerptis pro corruptis Gyraldinis leguntur, etiam in aliis codicibus exstant eisque illis excerptis Lucensibus multo vetustioribus. Postremo vero observandum est, etiam scripturam, quam Gyraldus primo horum trium locorum protulit „geminae cessant", corruptam esse: ergo id, quod de varia scriptura, quocunque tempore in vetere codice addita est, diximus, multo fieri verisimilius.

Jam vero restat, ut agamus de versu 28 epithalamii Palladii, ubi eodem modo Gyraldina excerpta valde videntur recedere a Lucensibus: nam Gyraldus protulit:

vel incompta
utque fuit turbata comas, merita capillos,

cum Lucensium excerptorum auctor hunc versum scriberet:

utque erat intexta comas, intecta capillos.

At vero primum hoc unum facile intellegitur, in altera versus particula diversitatem tantum Gyraldi neglegentia exortam esse, cum in „merita", quod videlicet omni careat sententia, nihil latere, nisi „intecta" nemo negaturus sit, si externam duarum vocularum speciem respexerit, qualis est in libris MSS Nunc vero etiam hoc alterum apparet „intexta", quod legit, qui hoc carmen ex Gyraldi codice descripsit, eo in contextum insertum esse, quod oculis ille aberraverit ad „intecta", quod sequitur, non ut Paulus contendit (cf. quaest. Claud. p. 35), codicum recentiorum auctoritatem secutus „intecta" aberratione ad „intexta", quod antecedit. Ergo sine ulla dubitatione possumus reponere, quod Gyraldus rectius tradidit „turbata", etiam codice V. 1 confirmatum. Ex tota igitur, quae videbàtur exstare, diversitate nihil superest, nisi quod Gyraldus „fuit" legit, alter vero, qui veterrimum codicem

inspexit, „erat“, unde unusquisque facile perveniet ad corruptam sane deperditi codicis scripturam „fuerat“. Ergo totus versus hoc modo in codice Gyraldino scriptus videtur fuisse:

utque fuerat turbata comas, intecta capillos,

ex quo versu, praesertim cum apertam corruptelae speciem prae se ferat, quomodo ista excerptorum diversitas evadere potuerit, non difficile est ad intellegendum. — De integrae vero sententiae restitutione suo loco infra agemus.

Tertium locum seu, ut jam dicere licet, duobus illis excerptis ut unius codicis fontibus probatis, „secundum“ locum Heinsius vindicat codici V. N. 2809, quem supra descripsimus (cf. p. 7 sequ.) cujusque antiquissima pars — aliae ejus particulae nunc videlicet excludendae — quali ratione utatur cum excerptis illis, nunc est quaerendum.

Atque primum quidem miro modo consentiunt plurimis in scripturis, eis quidem maxime plerumque ab aliorum codicum ratione recedentibus. Sic [1]) in libro I in Rufinum v. 232, 325, 333; eodem modo praefatio praefixa est libro secundo in Rufinum, in eaque v. 12 manu prima, ut in excerptis, „et Geticam“ scriptum. Deinde in ipso secundo in Rufinum libro V. cum excerptis convenit v. 22, 72, 74, in fine versus 103, ubi „relictis“ utroque traditur, v. 147, 187, 210, 216, 262, 271, 283, 342, 369, 399. Ad hos locos, cum utraque excerpta viderimus ex uno eodemque codice fluxisse, jam accedunt ei, ubi alterutrum eorum tantum adnotatum est, sicut lib. I in Ruf., v. 324 frontemque secari ludus; lib. II in Ruf. v 230 leges vibrato imponere ferro; v. 417 victor; v. 448 quisquis; v. 449 gerit; cet. — Hinc vero duas res licet concludere easque gravissimas: primum artiore cognatione cum deperdito Gyraldi codice Vaticanum codicem (V.) usum esse: deinde excerptis Gyraldinis et Lucensibus re vera auctoritatem vindicandam neque ea vana Heinsii hariolatione ad tantos honores pervenisse. Nam quas praebent scripturas, eae multis locis antiquissimi confirmantur qui adhuc exstat codicis testimonio. At vero haec ex-

[1]) Propter brevitatem tantum versuum numerum attulimus: nec tamen dicere volumus, totos versus accurate consentire, sed singulas eorum voculas, quas inde a pagina 16 contulimus sub illis versuum numeris.

cerptorum et V. codicis similitudo non ejusmodi est, ut alter liber ex altero videatur fluxisse: nam non pauci praesto sunt loci, quibus duo illi Claudiani emendationis fontes ita inter se discrepant, ut huic sententiae omnis verisimilitudinis species plane desit, id quod unicuique statim probabitur hoc locorum ex nonnullis libris collatorum conspectu, quem ita instituimus, ut excerptorum scripturas praeponeremus. — Lib. I in Ruf. v. 5 amnisque] annique; v. 50 quas Jupiter arcet Olympo] quas coelo Jupiter arcet; v. 69 tuentur] tuetur; v. 124 ubi fertur] quo fertur; v. 133 urna] unda; v. 142 debent] donent vel debent; v. 152 gramina] gramine; v. 154 levavi] litando; v. 158 flumen] fulmina; v. 165 aspectu] intuitu; v. 204 opulentior] augustior; v. 315 dextra catervas] dextera turmas. Lib. II in Ruf. v. 49 fatis] causis; v. 64 proxima] caerula; v. 71 exceptis] praeceptis; v. 81 amictu] amictus; v. 84 coactae] togaeque; v. 103 tuta sub pace relictis] tranquilla in pace relictis vel locatis; v. 227 querentur] moventur; v. 274 coeli] solis vel coeli; v. 298 poscere] vincere; v. 307 documenta] monumenta; v. 335 sentit praesagia fixi] sensit praesagia dici („ci“ in litura pro „xi“); v. 339 desiluit] prosiluit; v. 345 solvebat] jactabat; v. 351 limite] tramite; v. 371 flexus] amplexus; v. 420 visa] virgo; v. 472 fluctu] fletu; v. 479 ad rigidi] ad mala mox; v. 491 per varias annis ter mille figuras] per varias annis per mille figuras; cet.

Hanc vero diversitatem si comparamus cum miro illo, quem demonstravimus, codicum consensu, necessitate quadam in sententiam ducimur, excerptorum codicem et codicis V. primam particulam ex uno eodemque fonte fluxisse, ita tamen (id quod statim accuratius exponemus), ut Gyraldinus propius ad hunc fontem accederet, quam V. — Haec sententia primum eo certissime confirmatur, quod plurimis locis, ubi Gyraldi codex valde recedit a V., ille unice verum servavit, qua quidem re, ut hoc in transcursu addam, simul id denuo probatur, quod supra de excerptorum auctoritate explicavimus, nunc ad externam, quae allata est, demonstrationem etiam intestina addita, quae posita est in bona ipsorum excerptorum indole. Hoc unicuique statim probabitur utilitatem

contemplaturo, quae Claudiano allata est, ubi Heinsius excerptorum auctoritatem secutus est postea quidem male saepius ab editoribus relictam. Satis vero hoc apparebit ex exemplis, quae ex duobus libris in Rufinum infra attulimus, quem exemplorum conspectum ita instituimus, ut excerptorum scripturas praeponeremus, V. autem codicis scripturas subjungeremus. Lib. I in Ruf. v. 124 ubi fertur Ulixes] quo fertur Ulixes; v. 205 opulentior] augustior. Lib. II in Ruf. v. 49 fatis] causis; v. 64 proxima] caerula; v. 71 exceptis] praeceptis; v. 81 amictu] amictus; v. 138 pace] peste; v. 227 queruntur] moventur; v. 371 extendere] intendere; v. 372 flexus] amplexus; v. 491 per varias annis ter mille figuras] per varias annis per mille figuras.

At vero tantum abest, ut Heinsius hunc exerptorum fontem plane exhauserit, ut nonnullae scripturae restent, quas vir doctus nescio qua de causa in contextum non recepit. Quod accurate observandum est novis Claudiani editoribus, cujus rei unum saltem infra subjunximus exemplum ex primo in Rufinum libro depromptum.

Depingitur enim in hoc libro inde a versu 308 seditio, quam Rufinus in imperium molitur, hoc modo:

> Jam gentes Istrumque mouet, Scythiamque receptat
> Auxilio,

quae verba Heinsius hoc loco aliorum codicum auctoritate nisus non mutavit, quamquam in excerptis exstat „jamque Getas cet.“, quod etiam manu secunda in V. confirmatum sine dubio solum est verum. Nam contra Koenigium, qui illud versus initium, ut supra adscripsimus, ita vult defendere, ut interpretetur: „gentes ad Histrum habitantes“ primum dicendum est, „gentes“ per se non id, quod ille Claudiani editor fingit, significare; deinde vero hoc si concederemus eo quod sequitur „Istrum“ respecto, bis plane idem esse expressum, cum „Ister“ hoc loco, sicut in carmine de laudibus Stilichonis III, 13 „Rheni pacator et Istri“, quin dictum sit pro gentibus ad illum fluvium domicilia habentibus, nemo possit dubitare. Accedit, quod hoc ipso loco desideratur Getarum nomen, cum Rufinus ex poëtae sententia imprimis sit „con-

juratus Getarum“ id quod cum alibi dicitur, tum in hujus libri versu 319. Neque vero, ut fortasse alicui videatur, in initio versus in idem tautologiae vitium incidimus, quod modo in Koenigio castigavimus: nam ad Istrum praeter Getas etiam alias illo tempore habitasse gentes nemo ignorat.

Praeterea vero exstant loci, ubi ex excerptis facile possumus restituere veram scripturam, cum alii codices magis ab ea recedant. Sic in comparatione, quae legitur in carmine de tertio Honorii consulatu inde a versu 77, postremus versus (82) post Heinsium ex excerptorum auctoritate in editionibus hoc modo scribitur: „aestuat (scil. leo) et celsi tabo sordere juvenci“, haud dubie jure recentiorum codicum ratione relicta,[1]) qui praebent „caesi terga absorbere juvenci“: nam quid sit illud „terga absorbere“, cum „absorbere“ in primaria notione de liquidis tantum rebus dicatur, quae sorbendo absumantur, non intellegitur. Eodem autem modo respuendum est, quod nunc legimus „tabo sordere“, quae quidem locutio exemplis ab Heinsio allatis confirmata per se non offendit, elegantiae vero et sententiarum nexui hoc loco repugnat. Nam plane apparet hunc aliquid poscere, quod respondeat istis lactis „imbellibus epulis“, quas v. 80 poëta dicit jam negare adulescentem leonem. Ergo leni mutatione scribendum esse puto „tabum sorbere“, ut ea quae requiritur sententia evadat. Hoc vero multo fit probabilius eo, quod simili modo Homerus dixit, ut alibi, sic Il. XI, 176 *αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα λαφύσσει* (scil. *λέων*), cujus poëtae recordationem[2]) apud Claudianum inveniri saepius demonstratur. primo libro raptus Proserpinae, ubi inde a versu 270 haec leguntur:

et niveos infecit purpura vultus
Per liquidas succensa genas: castaeque pudoris
Illuxere faces. Non sic decus ardet eburnum
Lydia Sidonio quod femina tinxerit ostro,

---

[1]) V. codex hoc loco nos relinquit, cum in eo, ut supra diximus, carmen de tertio Honorii consulato saeculo XV scriptum est.

[2]) Utrum Claudianus talibus locis ipsum Homerum imitatus sit, an Homericas imagines ex poëtis latinis hauserit, dubium esse potest, praesertim cum locos respi-

quocum loco confer notissima illa, quae exstant Il. IV, 141 sequ. Idem apparet ex primo in Rufinum libro, ubi inde a versu 301 legimus:

Ac velut infecto morbus crudescere coelo
Incipiens primos [1]) pecudum depascitur artus,
Mox populos urbesque rapit,

quo loco nemo dubitabit, quin recordatio sit Iliadis I, 50 sequ. Ceterum ut hoc addam de „sorbendi" usu conferri potest, quod legitur apud Plinium 28, 1 (2) „calidum sanguinem ex homine sorbere". — Pro illa vero „celsi" [2]) vocula, ut hoc sub finem uno verbo tangam, recte haud dubie recentiores codices substituere leni mutatione „caesi", ut totus versus hoc modo scribendus sit:

Aestuat et caesi tabum sorbere juvenci.

Alter hujusmodi locus legitur in epithalamio Palladii, ubi Venus subito e somno excita adumbratur. Quem locum jam supra in transcursu tetigimus ex duobus excerptis corruptam, qualis haud dubie erat, Gyraldini codicis scripturam hoc modo restituentes:

utque fuerat turbata comas, intecta capillos,

a quibus verbis solis hoc loco in emendatione proficisci debemus, cum, ut alibi interdum, sic hic relinquamur a codicis V. auctoritate, in quo v. 28 et 29 sine ullo lacunae vestigio desunt: id quod errore librari factum esse cum ex eo apparet, quod in aliis codicibus, imprimis in Gyraldino legebantur, tum quod V. codicis ratione inita inchoata loci sententia non ad finem perducitur. Nihil etiam recentioribus codicibus proficitur, ex quorum auctoritate

ciamus, sicut de IIII Hon. cons., 200 sequ.; ubi „moturae convexa comae" in recordationem quidem vocant Il. α, 529, simul vero Ovidianum locum redolent, quem Gesnerus attulit ex Metam. I, 179.

[1]) Conjicio scribendum esse „primum".

[2]) Exstat quidem interdum „celsus" de tauris usurpatum, sicut Ov. Met. XI, 358 et Val. Flacc. Arg. II, 547. Sed hisce locis „celsus", ut alibi si primariam habet notionem, de re adhibitum est vere solito altius sublata et exstante, neque tantum vim prae se fert epitheti ornantis, quod dicunt grammatici, ita ut hinc nullam possimus deducere „celsi juvenci" defensionem.

Heinsius scripsit „utque erat interjecta comas, turbata capillos,“ quam eandem rationem etiam Gesnerus iniit, tantum „interjecta“ in „indigesta“ mutato. Nam tautologia, quam vocant Graeci, id quod Gesnerus jam sensit, omnino ferri nequit. Item nullam medicinam huic loco affert codex Oiselianus, eodem modo recentior liber, in quo pro „turbata capillos“ legitur „turbata papillas“: nam recte Gesnerus monuit, de Venere dici, non de vetulae alicujus pannuceis uberibus, quae quidem papillas turbata esse dici potest. Neque vero Paulus in loco emendando rectam viam ingressus est. Hic enim male solis Lucensibus excerptis nisus locum sic scribere voluit:

utque erat illa intecta sinus, turbata capillos.

At vero ut falsam Pauli quam modo castigavimus rationem omittamus, nemini haec temeraria versus mutatio probabitur: nam neque externa quaedam similitudo exstat inter „comas“ et „sinus“, neque intellegitur, quo vir doctus excusare possit eam, quam sibi sumpsit, „illa“ voculae interjiciendae licentiam. Jam vero, ut supra diximus, Gyraldini quoque codicis scripturam corruptam esse nemo non videt, cum primum „fuerat“ omni sententia careat, deinde tautologia remaneat, quam supra reprendimus. Quae corruptela triplici, ea tamen lenissima mutatione sanatur, si „utque“ in „atque“ mutato, pro „fuerat“ vero „ut erat“ et pro „capillos“ „papillas“ reposito versum hoc modo scribimus:

Atque ut erat turbata comas, intecta papillas
Mollibus exsurgit stratis.

Versus 28 ita bene currit, sententia vero cum initio hujus epithalamii optime convenit, ubi inde a versu 6 haec leguntur, quae scribam, ut ea emendanda [1]) esse puto:

fastidit amictum
Aestus et ex uda translucent pectora fronde.

Tertium exemplum praebet idyllii locus, quod „torpedo“ inscribitur, ubi in torpedinis doli quem natura ei dedit adumbratione

---

[1]) cf. Quae de h. l. diximus in corollario.

praeter alia inde a versu nono haec leguntur, quae ita adscribam, ut in longe plurimis editionibus exstant:

longeque extenta per algas
Hac confisa jacet, successu laeta resurgit.

Quo loco inter priorem et alteram versus decimi particulam omnem sententiarum connexum deesse plane apparet, id quod idem cadit in codices MSS. recentiores, qui versum eodem modo praebent tantum in initio varia ratione corruptum, ut unusquisque statim videbit, qui Clercquii apparatum inspicit. In editione vero Parmensi, in qua legimus:

longeque extenta per algas
Qui tetigere jacent: successu laeta resurgunt,

ne intellegitur quidem, quomodo versus decimi sententia cum eo qui antecedit versu conveniat. Et sane lacunae vestigium servavit codex V. 1, in quo pro versu decimo tantum haec verba exstant: „attactu confisa jacet", cum V. pro uno versu decimo duos servavit, quorum prior quidem mutilatus est:

A tactu confisa suo . . . . .
Qui tetigere jacent successu laeta resurgunt,

quibuscum accurate fere consentit codex Ambrosianus I. In codice vero Gyraldino etiam prior iste versus plenior legebatur, id quod ex excerptis Gyraldinis et Lucensibus cognoscimus, quae, ut levem eorum diversitatem, quam supra accuratius explicavimus, nunc omittamus, versum, qui ab „attactu" incipit, hoc modo scribunt:

Attactu confisa suo immobilis haeret.

Quamquam plane apparet cum ex intolerabili hiatu post „suo" (cf. L. Muell. d. r. metr. p. 311), tum ex corrupto sententiarum connexu, etiam Gyraldinum codicem hunc locum non integrum servasse, neque adhuc mihi magis, quam olim Claverio contigit, ut ex his miseris verae scripturae reliquiis justam loci sententiam restituerem, attamen Oppiano auctore hoc unum certissime possumus affirmare, Gyraldi codicis scripturam eis, quae Claudianus h. l. scripserit, paululo esse propiorem, quam V. codicis, neque illud „immobilis haeret" librarii cujusdam arbitratui deberi. Nam

Claudianus hoc in carmine illius Oppiani locum, qui legitur halieut. II, 58 sequu., imitatus est vel potius in latinum sermonem vertit, nunc accuratius, nunc paulo liberius graeca verba latinis exprimens: id quod verum esse isto Oppiani loco inspecto nemo negabit. Ergo hic si quid legimus, quod isti „immobilis haeret“ respondeat, non potest dubium esse, quin hoc antiquitus sit, ita ut in loco perlacunoso (id quod ex Oppiani comparatione elucet) emendando rursus ab excerptis proficisci debeamus tamquam archetypo propioribus, quam sunt alii codices, imprimis V. — Jam vero illis verbis accuratissime respondet versus septuagesimi initium *κεῖται δ' ἀστεμφής*: nam „haerere“ in *κεῖσθαι* verbi hoc est tranquille loco aliquo remanendi notione cum alibi exstat, tum apud Curtium Rufum IIII, 4: „haeret circa muros urbis.“ Ergo Gyraldini codicis auctoritas etiam hoc loco probata est.

Neque vero contra eam quidquam valent Orellii suspiciones, qui omni severiore emendandi ratione neglecta in programmatis Turicensibus (a. 1843) scilicet quam brevissime dixit, in excerptis interpolata esse omnia ea, quae a codice illo, quem primus contulit, Turicensi, eo tamen recentiore, recedant, sicut lib. II in Ruf. v. 49, 103, 227, 262 cet., quamquam multis locis tacitus ipse agnovit excerptorum auctoritatem.

Confirmat autem eam sententiam, quam supra instituimus, Gyraldi codicem archetypo esse propiorem, quam V., ratio, qua cum V. utitur codex Ambrosianus [A] [1]), quem, quamquam accurata totius libri collatio non in promptu est, artiore tamen cognationis vinculo cum V. conjunctum esse scimus cum ex isto Laurentii epithalamio et quattuor illis carminibus Nr. 574, 585, 1082, 1083 (in anth. Meyeri), quae in nullo alio Claudiani codice leguntur, nisi in V. et A., tum ex L. Muelleri studiis, quae in medium

---

1) Videtur idem codex esse, quem Clercquius in postrema saltem apparatus parte nominavit Ambrosianum I. In hoc enim exstant eaedem lacunae, atque in V. cf. epigr. I, 15—20, epigr. XXVII, 5—6, et 9—10 et, 13—14. idyll. III, 10. Accedunt non paucis locis in utroque codice scripturae eodem modo corruptae, id quod non casu factum esse exempla, quae secuntur, docent: epith. Pall. v. 12 „pendent et“ pro „pendentes“. v. 13 „pervigiles“ pro „pars vigiles“. v. 40 „flatu“ pro „lapsu“ cet.

prolata sunt in musco Rhenano XXIV, p. 126 sequ. quocum confer quae jam prius exposuit vir doctus ibid. XXII, 83 sequ. — Hic enim epithalamio Laurentii, quod a Claudiani musa alienum esse in codicis dignitate describenda nihil referre apparet, et in V. et in A. denuo collato ex lacunis et singulis scripturis hujus carminis cognovit, A. non apagraphon esse libri V., sed ex eodem codice, quem *a* signabimus, descriptum unde V., ita ut codex A., quotcunque Claudiani carmina in eo leguntur, ante omnia conferendus sit novam Claudiani recensionem paraturis. Ad confirmationem hujus sententiae multum valet, quod summa cum verisimilitate ex ratione codicis V. et A. statuere possumus, quot versus singulae paginae complexae sint ejus libri, ex quo illi codices fluxerunt. — Cognovit enim L. Muellerus l. a. lacunas, quae exstant in fine v. 10 et 11 epithalamii Laurentii et in initio v. 38, 39, 40 ejusdem carminis tamquam sibi respondentes exortas esse laesa archetypi membrana: ergo numerum versuum, qui illis lacunis concludantur, simul numerum indicare versuum, quos complexae sint singulae paginae archetypi. Et vir doctus quidem existimans versus in folio archetypi sibi respondisse hoc modo:

10 — 38
11 — 39
12 — 40 .

singulis ejus paginis tribuit duodetricenos versus.

At vero hoc non accurate convenit cum fragmento istius epithalamii, quod 87 versus complectitur, cum non intellegatur, quomodo initium hujus carminis eadem ratione et in A. et in V. potuerit mutilari, nisi, ut jam L. Muellerus statuit l. a. p. 92, a v. 1, quem nunc legimus, nova archetypi pagina incepisset, ita ut servata epithalamii particula tres paginas ejus esset complexa. — Quae cum ita sint, puto in singulis paginis archetypi undetricenos versus[1]) scriptos et versuum illorum lacunosorum responsionem fuisse hoc fere modo:

[1]) Ceterum difficultas non fugit Muellerum, qui hac de re singulis archetypi paginis duodetricenos vel undetricinos versus tribuit.


9
10 — 38
11 — 39
12 — 40

Sic porro facile apparet, quo factum sit, ut in altera pagina tres versus mutilati sint, in altera tantum duo.

Jam vero ad eundem versuum numerum pervenimus, si respicimus magnam illam interpolationem, quae exstat cons. VI Hon. v. 128—330 et detecta est a Paulo (progr. Glogav. 1857, p. 6 sequ.). Nam constat interpolationem ejus modi non fieri solere, nisi externa quam dicunt causa sit, sicut singularum paginarum confusio. Quam vere factam esse plane apparet eo, quod locus iste male cons. VI Hon. v. 128 interjectus 203 versus complectitur, ergo accurate per septem archetypi paginas distributus erat: quare non tantum mira illa interpolatio illustratur, sed etiam sententia certissime confirmatur, quam de communi codicis V. et A. fonte diximus. Nam tale quid non posse casui vindicari patet.

Ille vero codex *a* diversus erat a G. neque ex eo fluxit, id quod plane ex excerptis apparet Lucensibus, in quorum altera parte inter apographa minorum carminum ex G. hausta epithalamium Laurentii et alia illa, quae supra diximus, carmina non exstant. Neque vero G. potest descriptus esse ex *a*: nam ut diversitatem, quam modo attulimus, omittamus, in *a* non exstabat, ut ex apographis ejus sequitur, Aetna carmen, quod media inter Claudiani carmina lecta esse in G. eadem illa excerpta docent.

Atqui ex eis, quae pag. 20 sequ. exposuimus, constat, codicem Gyraldinum et V. unum archetypum redolere: ergo nunc necessitate sequitur, ut codicum illorum cognationem si stemmate significare velimus, id tantum fieri possit hoc modo:



Quae cum ita sint, omnes excerptorum scripturae, si integrae sunt, ut archetypo propiores in contextum recipiendae sunt, etiam eis locis, ubi V vel A aliquid praebent, quod per se non offendat. Cujus rationis sequantur nonnulla saltem exempla.

In secundo in Rufinum libro in editionibus legitur v. 274 „solis", manu prima codicis V. confirmatum aliisque codicibus, cum G. praebeat „coeli", quod defenditur loco, qui legitur apud Varronem d. r. rust. I, 2, 4: „cardo coeli". Dictum quidem est illo loco de polo septentrionali, sed tamen transferri „cardo" posse ad alias quoque regiones demonstrat Claudianus in I libro in Eutropium v. 396:

dicors oriens felicibus actis
Invidet atque alio Phoebi de cardine surgunt
Crimina,

quocum conferri potest Lucani locus, qui legitur lib. V, 71: „Eous et Hesperius cardo". — Idem judicandum est de versu 50 primi libri in Rufinum, qui ex V. codicis aliorumque librorum MSS. auctoritate in editionibus legitur hoc modo:

Heu nimis ignavae, quas coelo Jupiter arcet,

cum recipienda sit excerptorum scriptura, ea quidem sententiam non mutans:

Heu nimis ignavae, quas Jupiter arcet Olympo.

Ejusdem rationis exemplum praebet versus 103 secundi in Rufinum libri, in quo sine ulla causa in editionibus adhuc servantur, quae in recentioribus codicibus leguntur:

Partibus Italiae tranquilla in pace locatis,

cum ex excerptorum auctoritate scribendum sit:

Partibus Italiae tuta sub pace relictis:

nam illud „relictis" etiam V. codicis manu prima confirmatur.

Multo vero magis hoc in eos locos cadit, quibus excerptorum scripturae, id quod ex parte etiam ad versum, quem modo attulimus, spectat, V. quoque codice defenduntur, si ex recentiorum codicum auctoritate in editionibus aliquid legimus, quod quamquam non abhorret a latinitate, multum tamen recedit ab illorum vetustiorum librorum ratione. Quae res cum ab omnibus, qui in

severiore philologiae disciplina versentur, dudum sit comprobata, longiore demonstratione hic non opus est.

Sunt vero etiam loci, quibus ex V. et G., utroque corrupto, veram possumus scripturam concinnare, id quod, ut exemplum afferamus, cadit in versum 84 libri secundi in Rufinum.

Adumbratur enim hoc loco fraudulentus Rufini animus, quem etiam externo habitu testatus sit, inde a versu 82 hisce verbis:

Nec pudet Ausonios currus et jura regentem
Sumere deformes ritus, vestemque Getarum:
Insignemque habitum Latii mutare togaeque,

in quorum ultimo versu „togaeque", quod V. praebet cum recentioribus codicibus, propter tautologiam, quae eo efficitur, ferri nequit. Nam „habitus" ille „insignis Latii", qui in eodem versu affertur, haud dubie nihil significat aliud, nisi ipsam Romanorum togam, vel hoc saltem constat, togam istam esse illius Romanorum habitus partem. Neque vero quidquam proficitur Pricaeano codice, in quo a librario ad versum, qui antecedit, aberrante scriptum est „Getaeque". Hoc enim ut apparet omni sententia caret. Eodem autem modo non intellegitur, quid sibi velit excerptorum scriptura „coactae", quae ab Heinsio quidem in contextum recepta est, ita tamen ut graviore post „coactae" interpunctione deleta versum 84 cum eo, qui sequitur, hoc modo conjungeret:

Insignemque habitum Latii mutare coactae
Maerent captivae pellito judice leges.

Nam primum ut jam Burmannus monuit, male convenit „coactae" cum eo, quod sequitur, vocabulo „captivae", cum „displiceat duplex illud epitheton"; deinde plane apparet, ex poëtae sententia non leges habitum Latii mutare, sed Rufinum, Getarum istum conjuratum. Quae cum ita comparata sint, ut mutatione hoc loco opus sit, cum Heinsio ex „coactae"[1]) et „togaeque" concinnamus „togati", ut post „togati" pleniore interpunctione posita et „mutare" conjuncto cum „pudet" versus 84 sententia, ut apparet, bene

[1]) Fortasse *coacte*, exortum est ex TOGATI litteris uncialibus scripto A et G inter se commutatis.

procedat. „Latium vero togatum“ recte dictum esse cognoscere possumus ex ipsius Claudiani carminibus, qui cons. IV Hon. v. 15 dicit „togam Latiam“, quod idem legitur in versu 14 epistulae quartae. De „mutandi“ autem usu conferri potest praeter alios locos is, qui legitur in Ciceronis oratione post reditum ad Quirites habita, (III): „hominum praeterea viginti milia vestem mutaverunt“. Ceterum Clercquius in editione Burmanniana p. 760 a testatur, Heinsium etiam aliis verbis mutatis hoc modo versus scribendos proposuisse:

et veste Getarum
Insignes habitus Latii mutare togati:

id quod si in codicibus legeretur, nemo non probaret. Cum vero tali liberiore mutatione non opus esse viderimus, ad sententiam restituendam ea retinemus, quae supra proposuimus.

Interdum autem etiam V. locis in G. corruptis veram scripturam servavit. Cujusmodi hoc unum exemplum subjunximus, quod exstat in septimo versu epithalamii Honorii.

In initio enim hujus carminis magnus a poëta praedicatur et purus Honorii in Mariam amor, qui juvenem adhuc amandi ignarum ita impleat et commoveat, ut nihil moliatur, nihil cogitet, nisi Mariam. Hoc in versibus 6 et 7 sibi volunt verba, quae Gesnerus in editione sua ita scripsit: „mens omnis aberrat In vulnus, quod fixit Amor.“ — Secutus vero est codices deterioris notae, ut Vaticanum V, Regium, alios. Sed primum offendit locutio „vulnus figere“. Tela enim, spicula, alia ejusmodi figuntur, non vulnera. Male quoque quae Gesneri scriptura exsisteret sententia conveniens esset cum illo „aberrat“. Vulnus enim si quis tueatur, sic tantum interpretari potest, ut aeque ac v. 46 „vulnera“, ipsi stimuli sint Mariae amoris, quibus Honorius semper pungatur. In sua igitur ipsius mente ille fert vulnus, ad quod „aberrare mentem“, quomodo dici possit, non apparet. Quid vero artificiosius atque ineptius, quam cum Burmanno explicare „vulnus, quod fixit Honorius in pectore Mariae“, ad puellulae igitur amorem referre „vulnus“, quam poëta v. 229 praedicat „nesciam taedas parari nuptiales“ ac v. 231 „prisca pudicitiae exempla discentem“, quae

denique (v. 249) „floris ratione nodo latens nondum teneris audeat foliis admittere soles". Neque profecto hoc loco Gyraldini codicis scripturam probare poterimus „vultus, quos fixit Amor", nisi quisquam, quid sibi velint verba, exposuerit. Equidem nego illi scripturae Heinsii interpretationem posse subjici „vultus, quos pectori Honorii infixit": nam haec explicatio plane abhorret a verbis codicis G; praesertim cum intersit aliquid inter „figere" et „infigere", ut non videam, quo jure haec suo arbitratu interpres possit inter se commutare. Barthius vero quod proponit „in vultus, queis fixit Amor," illud quidem, quod tamquam elegantissimum defendit, quia „per oculos et totum vultum Amor tela suarum affectionum jaciat in corda amatorum", vix cuiquam probaverit, quamquam multas, ut solet, paginas implevit, ut rem illam illustraret. Est quidem „queis" forma Claudianea, ut apparet ex laudd. Stil. I, 191: „Suevos contudimus, queis jura damus". At vultus habitum vel statum faciei neque idem significat, quod oculi, quorum quidem acies imprimis animi motu inflammatorum cum telorum potest ictibus comparari. Vultus autem non admittit talem imaginem. Quod vero legitur in pluribus codicibus minoris dignitatis „in vulnus, quod pinxit Amor" plane rejiciendum est. Nam „vulnus pingere" ut a latinitate abhorret, sic a sententia. Neque enim alio „vulnus" vocabulum posset referri, nisi ad Mariam: haec tamen si „vulnus" nominaretur imperatoris, quod amore illius puellae inflammatus esset, plane videlicet langueret. Jam vero aliquanto aptius videtur esse quod praeter alios Burmannus recepit „mens omnis aberrat In vultus, quos finxit Amor", cujus scripturae sententia haec est: omnes Honorii cogitationes in Mariam aberrant, cujus pulchritudo tam splendida est, ut Amor eam ipse tamquam divinus artifex formasse videatur. At vero rem si accurate perpenderis, „finxit" vocabulum hoc loco vix probaveris. Nam non possumus dicere, Amorem fingere seu formare vultus vel ora alicujus, sed tantum per ea effundere venustatem illam atque gratiam, quae arripiat aspicientes eorumque mentes constringat. Hoc est, quod tam suaviter Sophocles praedicat loco illo celeberrimo: Ἔρως ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις.

Nihil igitur aptius habeo, quod commendem, nisi „vultus, quos pinxit Amor“, quae V. codicis scriptura,[1]) quamquam oblivioni adhuc tradita erat, sententiam illam, quam desideravimus, omnino exprimit. Imago autem, qua usus est poëta, haec est: ut pictorem per tabulam colorem, ita pulchritudinem diffudisse Amorem per genas Mariae. Quae imago vere est poëtica, quacum conferri potest, quod dicit Claudianus cons. Olyb. v. 272 „liquidi clementior aura favoni te (scil. anne felix) — pingat“; et Ovidius Am. I, 52 „ingenuas picta rubore genas“.

Jam vero ad postremam particulam hujus quaestionis pervenimus, qualis ratio sit recentiorum codicum, quos denuo contulimus: quo munere ita nos optime fungi putavimus, ut ex secundo in Rufinum libro selectarum scripturarum conspectum[2]) subjungeremus, in quo, si Gyraldino [G.] et Vaticano codice [V.] excepto omnes libri consentiunt, id C. littera indicavimus, singulorum vero librorum scripturas eis litteris signavimus, quas uncis inclusas in eorum descriptione pag. 7 sequ. addidimus.

Praefatio in II librum in Rufinum. Haec ante ipsum secundum librum inserta est in G. V. R; in V 1. V 2. V 3. L 1. E. H. T. P. ante bellum Gildonicum; in L 2. hoc loco deest, initium vero belli Gildonici cum praefatione desideratur (cf. p. 12). v. 12. Et Geticam G. Et Geticam uel Gildonis V. Et Geticam R. L 1. Gildonis V 1. V. 2. V 3. E. H. T. P. Liber II in Rufinum. v. 22 resolvat G. V. remittat C. v. 49 fatis G. causis V. C. v. 62 e culmine G. T. ex culmine V. a culmine C. praeter T. v. 63 cernit spectacula G. V. spectat certamina V 1. cernit certamina C. praeter V 1. v. 71 exceptis G. praeceptis V. C. v. 72 abnuit G. V. abnegat C. v. 74 facultas G. V. potestas C. praeter T, in quo „voluntas“ in „postestas“ mutatum est manu correctoris. v. 81 amictu G. amictus V. C. v. 84 coactae G. togaeque V. C. v. 85 pellito captivae V. captivae pellito C. v. 103 tuta sub pace relictis G. tranquilla in pace relictis vel lo-

[1]) Transiit haec scriptura etiam in nonnullos libros recentiores.

[2]) Hic conspectus ita comparatus est, ut scripturas veterum excerptorum et Vaticani codicis praeponeremus. Eis vero locis, ubi G. a nobis non affertur, variae scripturae non adscriptae erant.

catis V. tranquilla in pace locatis C. v. 106 amplexus G. V. complexus C. v. 127 duplicem fossam V. duplici fossa C. v. 128 locata vel locatum V. locata L 2. E. locatum C. praeter L 2. et E. v. 135 columnis G. V. L 2. metallis C. praeter L 2. v. 141 rabiem G. V. L 2. faciem C. praeter L 2. v. 147 minas G. V. T. (?) manus C. praeter T. (?) v. 186 his (?) si tunc V. si tunc his C. (sed in L 2. ante „his“ lacuna est, in qua manu II addita sunt verba „si tunc“.) v. 210 limite justo G. V. limite nullo C. v. 227 queruntur G. moventur V. E. P. movetur V. 1. V. 2. V. 3. L 1. L 2. H. T. (sed in V. 3. ita: mo$\overset{\text{u}}{\text{c}}$etur.) v. 230 leges vibrato G. V. stricto leges C. v. 262 spernisque G. V. E. tradisne praeter E. C. (sed in V. 3 spernis m. I superser. in T. tradisne a m. corr. pro tardasne). v. 298 poscere G. vincere V. C. v. 307 documenta G. monumenta V. C. (in V. 1. ita: monumenta, in L 1. mon$\overset{\text{i}}{\text{u}}$menta, in H. R. L 2: monimenta). v. 308 quis par V. quis nam C. v. 335 sentit praesagia fixi G. L 1. sensit praesagia dici („ci“ in litura pro „xi“) V. fixi praesagia sensit C. nisi quod in L 1. „sentit“. v. 350 [1]) se limite G. se tramite V. C. praeter V 3. qui praebet „se stramite“. v. 351 lucida G. lucida vel fulgida V. fulgida C. v. 351 ferri V. ferri, m. II. vel martis R. ferri P. martis C. praeter R. et P. v. 362 levant G. V. levant, m. II. vel movent R. movent C. praeter R. v. 369 [2]) vocat G. V. vocans C. v. 372 flexus G. amplexus V. C. v. 376 saltus G. V. saltus, m. II. vel silvas R. silvas C. praeter R. v. 399. respicit G. respicit vel despicit V. despicit C. (sed in T. corr. despicit in respicit.) v. 407 laniant vel fodiunt V. fodiunt C. v. 408 dilacerant V. dilacerant, m. II. vel dilaniant R. dilaniant C. praeter R. v. 416. victor G. V. m. I. victum R. L 1. vix tunc V. 1. vix tum V. 2 V. 3. H. T. P. v. 433 flagrant vel certant V. flagrant, m. II. vel certant R. certant praeter R. C. v. 437 fraudesque G. V. V. 2. fraudesque, m. II. vel poenasque R. poenasque V 1. V 3. L 1. H. T. P. v. 446 quisquis G. quisquis vel nequis V. nequis C. (sed H. ita: nequis, m. II. superscriptum: quisquis). v. 447 gerit G. gerit vel

¹) Codex E. in hoc libro hic desinit.

²) Hinc in hoc libro desinit codex L. 2.

gerat V. gerat C. (sed in H ita: ger$\overset{i}{a}$t.) v. 450 creditus vel credidit V. credidit C. v. 455 amolitur vel emolitur V. emolitur C. (in L 1. ita: $\overset{a}{e}$molitur.) v. 479 viderit ad rigidi G. ad mala mox . . . . transmittit V. m. pr. viderit ad mala mox transmittit V. m. sec. viderit ad mala mox transmittit C. praeter R. et P. [viderit ad sevi—] transmittit R. (ea quae uncis inclusimus, in litura leguntur et scripta sunt m. II.) viderit ad mali mox P. v. 491 per varias annis ter mille figuras G. per varias annis per mille figuras V. per varios annos per mille figuras C. praeter P. ubi: per varios amnes per mille figuras.

Primum apparet ex tanto scripturarum et integrarum et corruptarum consensu, recentiores quos enumeravimus libros, non minus quam G. et V., communem fontem redolere; sed ita ut V. 1. 2. 3. L 1. 2. T. E. H. P. rursus artiore vinculo conjungantur. Nam ne nimium tribuamus singularum scripturarum diversitati, quae nonnullis locis, sicut v. 362, 376, 408, 433, 437, [1]) intercedit inter R. et alios illos quos inspeximus codices, collocationem commemoro praefationis, in qua R. consentire videmus cum codicibus antiquioribus. Jam vero cum ei, quos artius diximus inter se cohaerere, praeter P. eodem fere tempore descripti sint, hoc alterum quoque facile intellegitur vix posse inter eos unum aliorum archetypum haberi, sed multo verisimilius videri, omnes illos ex uno codice antiquiore (Z) fluxisse, qui quidem descriptus haud dubie est ex eodem libro (x), unde R. derivandus. Quamquam, ut ex praefationis collocatione apparet, non parva diversitas intercedit inter R. et (Z), in quo haud dubie omnia eodem modo exstabant, quae in ejus apographis leguntur, attamen nostra sententia satis confirmatur plurimis locis, qui et in R. et in aliis illis recentioribus codicibus eisdem vitiis laborant, sicut v. 22, 72, 74,

[1]) Illis locis antiquiores scripturae in R. servatae sunt. Sed talia etiam interdum in aliis codicibus reperiuntur, sicut in L. 1. praef. v. 12, in L. 2. lib. II. in Ruf. v. 135 cet. Exorta ea sunt haud dubie eo, quod in exemplari, unde illi descripti sunt, ex antiquioribus codicibus variae scripturae adjectae erant, quas nonnulli librarii in contextum denuo receperunt. Maxime enim cavendum est, ne tali codici ob paucas scripturas antiquas celerius majorem vindicemus dignitatem, quam aliis, qui in ceteris cum illo plane conveniunt.

85 cet. quae nisi neglegentiae vel arbitratui unius librarii tribuamus, quomodo in omnes illos libros irrepere potuerint, dici nequit.

Gravior vero illa quam diximus diversitas sine dubio eo effecta est, quod in versu 12 praefationis varia scriptura „Gildonis“, in V. adhuc servata, etiam in (x) adjecta erat, quam scriptor codicis (Z) hoc loco quamvis perverse munere censoris perfunctus in contextum recepit eoque simul permotus est, ut praefationem ad carmen de bello Gildonico transponeret, cum librarius codicis R. qui ubique indocti prae se fert et stulti hominis speciem, codicem (x) quam potuit accurate describeret. Quae cum ita sint R. tamquam fontis aliorum codicum recentiorum ectypos non parvi momenti est,[1] praesertim cum, ut statim accuratius explicabimus, (x) non possit apographon esse codicis V. Illos vero, qui ex (Z) derivati sunt, cum appareat in eis ex (x) nihil servari, quod non in R. aut servatum sit, aut ex litteris hujus codicis facile restitui possit, — illos inquam libros sine ullo timore, ne eo Claudiani emendatio quid detrimenti capiat, prorsus possumus praeterire. — Codex (x) vero quamquam multis locis, ut ex apographis apparet, valde ab antiquiore codice V. recessit, non tamen videtur a fonte fluxisse ab illius libri alieno. Nam primum multi loci, quos in archetypo integros fuisse ex excerptis videmus, eodem modo in V. interpolati sunt, quo, ut ex apographis scimus, erant in (x):[2] id quod casui non posse tribui plane apparet. Deinde vero quod ad scripturarum discrepantiam pertinet, ut leniores mutationes omittam, sicut in v. 62, 106, 127, 128, 141, 147, 210, 369, 399, 416, 447, 450, 455, graviora vitia exorta sunt primum oculorum aberratione vel ad versum, qui antecessit (cf. v. 135 et

---

[1]) Similes codices videntur esse Florentinus ex bibliotheca Dominicanorum ad D. Marci, cujus saeculum mihi non notum est, et Mediceus IV, saeculo XV scriptus. Uterque servavit antiquam praefationis collocationem, et in Mediceo libro similem librorum distinctionem habemus, atque in R, in quo singulis libris praeter titulos carminum continuo ordine praefixum est: liber I, liber II cet. — Ceterum Zaccaria in itinere italico codicem Florentinum in illo monasterio non invenit, unde fortasse cum aliis clam ablatus est (cf. Band. cat. IV, p. XXXVII).

[2]) cf. pag. 34 sequ. s. v. 49, 71, 81, 84, 227, 298, 307, 350, 372, 479. Huc etiam spectant v. 103 et v. 491, ubi jam transitum videmus ad scripturam codicum recentiorum.

262) vel ad aliquod verbum ejusdem versus (cf. 63, 437, 446). Accedunt vitia, quae librariis debemus priores versus in mente tenentibus, in quibus similia legerant, atque in eis, quos describere voluerunt. Huc spectat v. 230 „stricto — ferro" pro „vibrato ferro", cum, ut jam Heinsius monuit, v. 214 legatur „strictos — enses"; deinde v. 308 „quis nam" pro „quis par", quae mutatio redolet versum 298, ubi a „quis enim" similis interrogatio incipit, atque in versu 308. Aliorum vero locorum discrepantia cernitur aut in mutato verborum ordine (cf. v. 85, 186, 335) aut, cujus rei omnibus in codicibus plurima exempla exstant, similium verborum permutationi debetur (cf. v. 22, 72, 74, 351, 362, 407, 408, 433), ita ut non sit, quod de communi fonte codicis V. et recentiorum librorum dubitemus.


At vero (x) non descriptus est, ut jam in transcursu diximus, ex V., cum hic minorem carminum numerum complectatur, quam (x) continuisse constat, neque cogitari possit, ut exposuimus pag. 8, de codicis V. mutilatione. Ergo sequitur, ut (x) artiore cognatione conjunctus sit cum *a*, unde V. et A.[1]) fluxisse vidimus. Hinc autem simul apparet, varias illas scripturas, quae manu saeculi XI—XII in V. ubique adjectae sunt et plerumque leguntur in ipso contextu recentiorum librorum MSS., non in hos tralatas esse ex V., sed vice versa in V. ex exemplari quodam recentioris classis, cujus ejusdem rei multa exempla etiam R. praebet (cf. v. 351, 362, 376, 408, 433, 437). Neque huic sensentiae obstat, quod epithalamium Laurentii parvulaque illa carmina, quae in *a* infuisse scimus ex V. et A., in (x) haud dubie non lecta sunt, ut satis ex apographis apparet. Nam hoc aut casui vel librarii arbitratui tribuendum, aut, nisi forte illa codicis *a* folia omnino jam deperdita erant, cum (x) describeretur, eo effectum est, quod ea librario difficiloria erant ad legendum: id quod non parvam verisimilitatis speciem habet, quia hanc partem codicis

---

[1]) In A. eodem modo non omnia Claudiani exstant, sed tantum nonnulla, ut mihi scripsit clarissimus bibliothecae Ambrosianae praefectus Bernardus Gattius: ergo ne ex hoc quidem codice (x) potest descriptus esse.

a lectori re vera laborem fecisse apparet ex lacunis codicis Ambrosiani (cf. L. Muell. mus. rhen. XXIV p. 128).

Jam vero nihil restat, quam ut codicum stemma,[1]) quale nobis videtur esse, subjungam.



Sic ad finem hujus quaestionis pervenimus, qua hoc tantum si efficiam, ut studia virorum doctorum in neglectum poëtam denuo convertam, non frustra scripsisse mihi videor.

Corollarium.

In primo libro de laudibus Stilichonis praedicat poëta hujus providentiam, inde a versu 364, quem locum editores ex codicum auctoritate hoc modo semper scripserunt:

---

[1]) Ad eam classem, quam (Z) signavimus, etiam alii videntur pertinere, sicut ceteri quattuor Vaticani, quos Heinsius contulit, Pricaeanus, Farnesianus, Oiselianus, Palatinus. Sed satis habeo hoc verbo tetigisse. Accuratius hac de re agam, postquam ipse Italicas bibliothecas adii et Clercquii fidem examinavi. De aliis codicibus ab Heinsio collatis ex Clercquii apparatu certi nihil apparet. At vero si (ut ex codicibus, quos ipse post Heinsium denuo inspexi, elucere videtur), Clercquius tantum quae invenit in quinque illis Heinsii editionibus conscripsit, codices igitur, ubi in illius viri apparatu nullae eorum variae scripturae allatae sunt, conveniunt cum editionibus, quibuscum Heinsius eos contulit, etiam ex illorum numero plurimi ad hanc classem referendi: nam illae editiones non multum a libris MSS. hujus classis recedunt.

sed non uni certamina pugnae
Credidimus, totis nec constitit alea castris
Nutatura semel; si quid licuisset iniquis
Casibus, instabant aliae post terga biremes.

At vero non apparet, quid sibi velit illud „totis" in versu 365: nam summam laudem meritus Stilicho, non quo omnes, quos in castris haberet, milites ad pugnam non admisisset — male videlicet dux victoriam curasset, nisi tota voluisset vi hostibus repugnare — sed quod fortunae vicessitudines respiciens praeter illos milites nova post terga posuerat subsidia in biremibus, ut, si quid accidisset, diminutum in castris exercitum redintegrarent. Ergo cum pro „totis" similem exspectaveris voculam, quae eandem fere sententiam habeat, atque „uni", quod antecedit, conjicio leni mutatione „solis" pro „totis" scribendum esse, ut ea sententia, quam desideravimus, evadat.

In primo carmine in Rufinum v. 85 sequ. Megaera coram scelesto quod antea poëta adumbravit concilio, mundum si laedere libeat, ad hoc consilium perficiendum nullum aptiorem esse virum exponit, quam Rufinum. Hunc, inquit, gremio prima suscepi, hunc ubera petentem saepe amplexa sum (v. 95)

linguisque trisulcis.
Mollia lambentes finxerunt membra cerastae.

Haec leguntur, ut in multis editionibus, sic in omnibus codicibus, nisi quod in pluribus recentioribus pro „membra", ut infra accuratius videbimus, „ora" legitur et in quattuor ejusdem classis „finxerunt" librarii errore in „fixerunt" mutatum est. Sed jam sententiam videamus, quam perverse procedat. Nihil enim aliud significare versus potest, nisi cerastas illas, quibus Megaera pro crinibus utitur, lambendo formasse seu effinxisse membra parvuli Rufini. At vero constat hominis partus a primo ortu certam quandam formam habere neque informem esse vel ineffigiatam molem, quae aliqua ratione in aliam possit formam transmutari. Ergo ineptum est, si Barthius, ut istam codicum scripturam tueatur, Aeliani verba affert, quae leguntur d. anim. II, 19, ubi pullus ursinus partu modo editus, ut ipsius scriptoris verbis utar, τὸ

εἰκῆ κρέας καὶ ἄσημόν τι ἀτύπωτον καὶ ἄμορφον nominatur et Gellium, qui lib. XVII, 10 in transcursu idem commemorat. Nam qualiscunque illa res veteribus visa est, videlicet nihil hac in re commune homines habent cum ursis. Non igitur potest scriptura integra servari, sed aliquid mutandum est: quod jam idem sensit is qui in Vaticano codice ad „membra“ adscripsit „ora“, quae lectio ex recentioribus libris tralata videtur. At profecto vultus recens nati pueruli non minus certis lineamentis descriptus est, quam alia membra: quare quomodo dici possit, cerastis lambentibus fictum eum esse non intellegitur. Ergo plane apparet, nihil hoc loco illa mutatione profici nec recte eam ab Heinsio in textum esse receptam. Attamen Heinsium secuti sunt Gesnerus et Orellius (progr. Tur. 1843), quamquam „membra“ ipso Turicensi codice, quem hic vir primus contulit, confirmatur. Quod vero cum nonnullis, ut vidimus, aliis editio princeps praebet „lambentes fixerunt membra cerastae“ per se concidit. Nam ut in transcursu tantum commemorem, illud quam male cum sententia conveniat, cum non de aliqua vexatione pueruli agatur, sed contra de ejus conservatione, membra hominum gladiis aliisve armis mortiferis transfiguntur, sed hoc non fieri linguae tactu constat. Quae cum ita comparata sint, ut vitiose versus procedat, facile aliquis conjecerit, scribendum esse pro „finxerunt“ lenissima f in l mutatione „linxerunt“. Quae sane ut felix conjectura et ad sententiam maxime accommodata etiam mihi probaretur, si aliquid interesset inter vocularum „lambere“ et „lingere“ significationem, quae cum unam omnino eandemque prae se ferant notionem, valde dubito, num servata sermonis concinnitate dicatur „lambentes linxerunt membra cerastae“. Qua de causa pro „finxerunt“ potius scripserim „strinxerunt“, ut versus recte procedat

Mollia lambentes strinxerunt membra cerastae.

Sic vero sententia evadit optima: angues lambentes leviter tetigisse infantis membra: id quod similiter Prudentius Clemens Hamart. v. 135 expressit: „virides adlambunt ora cerastae“. Hic usus verbi „stringere“ cum aliis confirmatur poëtarum exemplis, ut Ov. Met. XI, 733 „stringebat summas ales miserabilis undas“, tum

ipsius Claudiani, ut de laudd. Stil. II, 274 „Apenninus volatu stringitur“. Jam vero hoc quoque melius apparet, quam inutilis sit illa „membra“ voculae in „ora“ commutatio. Nulla enim causa est, cur dici nequeat, cerastas lambentes linguis membra Rufini tangere, et quae nos cogat, id quod veterrimo libro confirmatur, huic „ora“ posthabere.

Huic loco alium subjunximus simili modo, ut videtur, emendandum. — In secundi in Rufinum libri initio a poëta gentes enumerantur, quas vir iste in imperium fraudulenter converterit: quo loco inde a versu 26 in codicibus et editionibus haec leguntur:

alii per terga ferocis
Danubii solidata ruunt, expertaque remos
Frangunt stagna rotis.

At profecto illud „frangunt“ omnino non quadrat: nam „frangere“ tantum de fluvios transeuntibus usurpatur, si, ut fit, pulsu remorum vel lacertorum hominis natantis, undae vere persulcantur et dividuntur. Hoc vero loco apparet, poëtam id voluisse significare, stagna Danubii frigore solidata, tamquam firmam terram currus integros supervectos esse. Quam sententiam similiter Claudianus cons. III. Hon. v. 150 ita expressit: „stantemque rota sulcavimus Istrum“. Nemo autem non videt hanc sententiam, „currus glaciem perfregisse seu pertudisse“ a loco prorsus esse alienam: id tamen, quod solum „frangere“ vocula hoc loco possit significare, qua de notione conferri potest, qui in raptu Proserpinae (II, 66) legitur locus: „rigentem Tanain fregere securi“. Quae cum ita comparata sint, ut locum non possimus pro integro habere, pro „frangunt“ scribendum proponimus „stringunt“, ut jam sententia recte procedat: rotas radentes glaciem in transcursu leviter tetigisse, id quod etiam Gesnerus rectius sentiens, quam interpretans videtur voluisse, cum censeat „illud frangunt ad crepitum rotarum et impressas orbitas pertinere.“ Ceterum ne hic quidem vir doctus locum pro sano videtur habuisse, cum in indice s. v. „frangit“, ubi locum de quo agitur, exscripsit „frangunt“ ut solet locis incertis, litteris exaraverit minusculis, ut statim inter alias voces eluceret. De usu vero „stringere“ vocis confer quae p. 41 diximus.

In carmine, in quo Probini et Olybrii consulatus celebratur, Tiberinum deum fingitur prosperorum nimborum omine elicitum (cf. v. 209 sequu.) ex antris fluvii processisse, ut causam cognosceret, unde repentinus coeli fragor exortus esset. Hoc deo a poëta venuste ac facete adumbrato locum, quem ille occupat, ita describit v. 226 sequ.

Est in Romuleo procumbens insula Tibri
Qua medius geminas interfluit alveus urbes
Discretas subeunte freto, pariterque minantes
Ardua turrigerae surgunt in culmina ripae.

Significatur hoc loco insula Tiberina, quae ut graece dicam κατ' ἐξοχήν „Insula“ nominabatur: id quod Ovidius disertis verbis testatur, quae leguntur Met. XV, 739 sequ.:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis;
Insula nomen habet cet.

Hac vero regione in Tiberini honorem quotannis ludi erant, quos commemorat Ovidius fast. VI, 238. Hinc igitur deum fingi potuit „unanimes fratres juncto stipante senatu forum euntes“ videre et „strictas secüres procul radiantes“ (cf. v. 230 sequ.): ad hanc insulam optime in versu 230 „agger“ denominatio quadrat, cum aggestione limi exortam eam esse in straminibus adhaerentis testetur Livius (II, 5). Quae cum ita sint, vereor, ut v. 227, quem supra adscripsi, ut ex auctoritate codicum in editionibus legitur, integer possit servari. Nam codicum scriptura servata in enuntiatione relativa una eademque res bis affertur: nempe primum Tiberis interfluere dicitur Romam dispertitam, deinde haec urbs discerni fluminis undis: quae tautologia ferri nequit. Praeterea Tiberis fluctus non eo tantum loco intra divisam urbem provehuntur, ubi Insulam circumfluit, sed, ut constat, etiam alibi. Ergo hic quomodo poëta illam rem tamquam huic ipsi loco propriam urgere potuerit, non intellego, praesertim cum per se satis languidum esset, hic pluribus verbis id commemorari, quod videlicet uniuscujusque est fluvii, qui urbem quandam perfluit. Haud dubie illud poëta voluit significare, quod Ovidius attulit et loco illo,

quem supra ex Met. XV, 739 ascivimus, et eo, qui legitur, fast. I, 292:

Insula, dividua quam premit amnis aqua.

Ergo „medius“ vocula transposita v. 227 hac ratione puto scribendum esse:

Qua geminus medias interfluit alveus urbes.

Jam vero aptissima sententia procedit, ubi insula Tiberina sita sit, eo loco mediam urbem perfluere flumen alveo dispertito.

Depinguntur a Claudiano in primo epigrammate mulae Gallicae, quae quamvis expertes sint frenorum et jugorum, semper tamen magistri barbari voci oboedire et si jubeat, servire dicuntur. Huc locus spectat, qui legitur inde a versu 5 hoc modo:

Quamvis quaeque sibi nullis discurrat habenis
Et pateant duro libera colla jugo
Ceu constricta tamen servit, patiensque laborum
Barbaricos docili concipit aure sonos.

Adscripsi secundum inter hos versus, ut exstat ex codicum auctoritate in editionibus. Et Gesnerus quidem eum integrum reliquit, cum „colla paterent, quia nulla eorum pars jugo tegeretur.“ Sed talis voculae „patere“ usus, quod sciam, longe abhorret a latinitate. Sane de aditu aedium, de viis, de aliis ejusmodi rebus „patere“ usurpatur, ut eas non obstructas esse significetur: imprimis etiam adhibetur de locis et terrarum finibus procul extensis. Sed quo modo hoc possit idem valere, atque „vacare“ seu simile quid non apparet. Quare puto ad lenissimam verbi „pateant“ in „careant“ mutationem confugiendum esse, ut „libera“ poëtice per prolepsin dictum sit, vocabula vero „duro jugo“ cum „careant“ conjungantur. Versus sententia quae evadit: nullum jugum mulas habuisse, optime convenit cum antecedentis, cui subjunctus est, versus sententia: „quamvis quaeque sibi nullis discurrat habenis.“ Difficultas vero in singulis verbis explicandis nulla exstat.

In initio epithalamii Palladii Venere depicta, quae in opaco antri gremio artus fudit, ita poëta v. 6—7 pergit: „fastidit amictum Aestus et exuto translucent pectore frondes.“ Adscripsi locum, ut ex auctoritate codicum in editionibus quas trivi legitur omnibus.

At vero quid sibi velint verba: „exuto translucent pectore frondes.“ quae tantum vertere possimus „vermittelst der entblössten Brust schimmert das Laub durch“ intellegi nequit. Neque enim Gesneri interpretatione quidquam proficitur, qui frondes h. l. significari censet lucidum splendorem nivei pectoris transmittentes: nam illa sententia in verbis, ut nunc leguntur, minime inesse potest. Corruptelam hic latere jam Scaliger cognovit, eique ita mederi voluit, ut scriberet pro tradita scriptura: „excussas translucent pectora frondes“, ut esset pro „pectora lucent trans frondes excussas“. Sed ut alia omittam „translucere“ nunquam conjungitur cum simplici accusativo, quod idem Burmanni sententiam refutat, qui scribendum esse conjecit „injectas translucent pectora frondes“. In altera vero scriptura quam idem Burmannus proposuit „excussa translucent pectora fronde“, si quid video, sententia omnino nulla inest. Quae cum ita sint conjicio, scribendum esse „ex uda translucent pectora fronde“. Jam vero sententiam habemus quae requiritur, ex viridi fronde Veneris pectora lascive effulgere. De usu „udus“ voculae h. l., ut per se apparet, dubitari nequit. Constructionem vero locus probat ex Plinii historia naturali depromptus (XXXVII, 10, 67): „selenitis ex candido tralucet melleo fulgore imaginem lunae continens“.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 087 137 6


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 087 137 6

